FRANCISCI ORIOLI

VITERBIENSIS

DOCTORIS PHYSICAE IN ARCHIGYMN. BONONIENSI

Epistolae

IN C. VALERIUM CATULLUM.

BONONIAE

EX TYPOGRAPHEO NOBILIANO

A · MDCCCXXII

PERMISSU PRAESIDUM.

De adjumentis ad Catullum emendandum, declarandum, illustrandum adhibitis. Falsi crimen a Mureto depulsum. Fragmentum Pacuvio poëtae additum, versus ei restitutus. Codex Catulli omnium antiquissimus detectus, descriptus. Adinventi Catulli laus Guarino sublata probabilibus argumentis. Hexasticon ei perperam tributum, emendatiùs editum in nonnullis, et explicatum. Bonius, Gambiusque correpti. Epigramma, quantùm novimus, antehac ineditum Hermolai Barbari in Merulam. Versus integer Catullo nunc primùm additus. Versus alter ex eodem sublatus, et Sereno vindicatus. Ausonii carmen emendatum. Quaedam de proceleusmatico metro. Notata plura in Sereni proceleusmatico carmine de lèporis venatu. Item alia multa quae lector videat.

VIRO DOCTISSIMO

DIONYSIO STROCCHIO

Equiti coronâ ferreâ etc.

EPISTOLA 1.ª

Catullum, Dionysi vir cl., nunquam ego in manus sumo, quin mirificâ quadam voluptate perfundatur animus lepòre captus poëtae venustissimi, cujus ore latinae charites videntur loquutae quo tempore maturuerant jam romana ingenia, fructusque illos uberrimos properabant edere, quorum ergo Ciceronis, Caesaris, Virgilii nomina veremur et suspicimus. Legenti tamen mihi versus ejus aureolos, voluptatis partem non exiguam demit miseranda tot locorum jactura, qui in antiquis membranis vel omnino interciderunt, vel adeo superfuerunt mutili ac mendosi, ut omnem ferè amiserint elegantiam. Huic sanè calamitati subvenire conati sunt eruditi viri conjecturis aptissimis, quorum industriâ circumferuntur hodie illa carmina tam non inficetè restituta, utì stygmata ipsa graviorum vulnerum intuentium oculos paene fugiant. Ita in signis marmoreis factitatum quotidie videmus, quae cùm terra egerit capite manca, vel altero pede, scalptoris utique ma-

nu speciem integritatis quandam recipiunt, eâque fucum minùs peritis omnino faciunt. At enim solertiores non fallunt, quibus nova et adulterina pro germanis et antiquis venerari non est animus. Ego verò quae in erutis de terrâ signis fastidiunt severiores, eadem in Catullo abominor. Ac laudo quidem tot virorum diligentiam in eo reparando allaborantium: tamen displicet mihi sedulitati eorum atque ingenio saepe non parem respondisse fortunam. Quapropter desiderare soleo, ut eidem operi manum admoveant alii magis navam: summopere autem gaudeo, quòd sciam pluribus abhinc annis totum in hôc esse Pisaurensem virum nobilissimum, eundemque cl. Antaldum Antaldium, cujus virtute habituros tandem nos esse confido Catullum si minùs integrum, at qualem dumtaxat sperare modò sinit temporum injuria. Profectò effecisti tu quoque, mi Dionysi, utì minus dolerem, tu, inquam, cujus ab ore animadversiones excepi multas, in poëtae hujus depravatos locos, oppidò sagaces, doctasque. Id causae fuit, cur ad haec ipse quoque mei vires ingenioli converterem, tuisque et Antaldii vestigiis insistens, impari gradu, eôdem studerem contendere. Quocirca, si negotioso mihi per valitudinem liceat parùm firmam, decrevi aliquot ad te litteras mittere, nonnullas ad Antaldium nostrum, aliquot etiam ad Paullum Costam Comitem, et Ioannem Baptistam Giustium Equitem, tui meique

amantissimos, atque optimarum litterarum cum primis scientissimos, quibus epistolis quaedam in auctorem hunc a me observata vobiscum communicem. Tibi autem priorem hanc dedi, quâ praefari ceteris placet. Atqui tunc amicissimè a te mihi actum censebo, quum universa quae contulero humaniter quidem accipias, at solerter intuearis, liberè judices.

Primùm de praesidiis dicam, quibus adjutus in hanc audaciam veni. Porrò sunt ea vulgatorum Catulli carminum insigniora quaevis volumina, quae vel impendio mihi comparavi, vel commodata ab amicis accepi, vel in aliorum bibliothecis adivi. In iis autem plurimi facio *Alexandri Guarini Ferrariensis Commentarios* ex ingenio Baptistae patris, Venetiis editos apud Georgium de Rusconibus a. 1521. Sanè miror Doeringii diligentiam fugisse insignem hunc librum, in quo bonae frugis tantum inveni, quantum vix, aut ne vix quidem in plerisque ceterorum (*a*). Duo

(*a*) Certè hôc nomine eximiè laudatur a Scipione Maffeio equite, qui vol. 2. = *Storia di Verona* 1732. *pag.* 6. = inquit „ *Tra le molte edizioni di quest' A.* „ (nempe Catulli) *distintamente si celebrano quella del* „ *Vossio, e quella di Gius. Scaligero; ma per verità maggior obbligo ha Catullo al Partenio, che* „ *prima vi pose mano, ed ai Guarini Battista che* „ *l' emendò, e Alessandro che il comentò, benchè* „ *l' edizion loro sia poco nota, e poco anche da coloro ricordata, i quali lavorando poi intorno a que-*

mihi praesto sunt exemplaria commentariorum istorum, quorum alterum autographâ, ni fallor, Guarini ipsius notulâ insigne, videtur in ejusdem libris fuisse quamdiu vixit (*b*). Unum verò prae innumeris, quae me docuit, hîc profe-

---

„ *sto poeta, assai se ne approfittarono etc.* „ Tamen commentariorum Alexandri nostri Fabricius meminit in Biblioth. lat. lib. 1. cap. 5., quos apertum est non eum legisse: dicit enim impressos Venetiis a. 1500. cum commentariis Palladii Fusci, et Hieron. Avantii, quod a veritate procul abest. Emendatiùs quidem haec habentur in ejusdem Bibliothecâ mediae et infimae aetatis a Mansio auctâ 7. 3., art. de Alexandro Guarino, ubi editio a. 1521. rectè citatur ex Biblioth. Barberinâ. Sed citant etiam, tametsi perraro, Muretus, Statius; crebrò autem Vulpius, et Corradinus de Allio; ac vidisse constat Scaligerum, qui saepiusculè videtur usus, indicto nomine. Ceterùm diligentiam Pantzeri non fefellerunt hi commentarii, qui meminit T. 8. pag. 467. n.° 1075. Mentio quoque injicitur eorum in Catalogo Pinelliano T. 3. pag. 136., utì et apud Crevennam T. 3. pag. 183.; tum apud Barottum = Memorie Istoriche di letterati Ferraresi ediz. 2.ª T. 2. pag 74. = Quapropter jure quis miretur de iis tacuisse Clementum, Deburium, Fournierum, Brunetum, Arvoodium ipsum a Gambâ et Bonio auctum. Quod ad Doeringium attinet, Guarinum is quidem praeteriit in editionum indice, sed meminit hac illac, puto aliorum exscribens testimonia.

(*b*) Liber est *in 4.° parvo*, ut vocant. Chartas habet numeratas prorsâ tantùm parte CXV.; non numeratas in fronte libri decem, ad calcem quinque. Postremae hae quinque chartae in quibus typographica errata emen-

ram. Didici inde injuriâ carpi Muretum v. cl. a Vossio, Vulpio (*c*), et Doeringio, quasi versum a se confictum Pacuvio tribuerit.

Est is jambicus, quem utì Pacuvianum Muretus attulit:

Pro imperio sic Salisubsulus vestro excubet:

ut hinc probaret Salisubsulum esse Martem, de quo mentio ei videbatur esse apud Catullum in carmine XVII. ad Coloniam, sic:

In quo vel Salisubsuli sacra suscipiantur (*d*):

Atqui annis quinque ante Muretum natum versus idem edebatur a Guarino (*e*), ceu Pacuvianus; atque adeo fabulae titulus addebatur, ex quâ sumitur, videlicet *Armorum judicium* (*f*).

---

dantur, et adduntur nonnulla, desunt in altero exemplari, ac videntur editae, libro jam in vulgus prolato, ac partim divendito.

(*c*) De Vulpio quidem miror, Guarinum enim saepiùs citat, certòque legit. Ad hunc tamen locum certè non legit. Sic homiuum etiam doctissimorum est falli, ac non raró caecutire.

(*d*) V. 6., quem ita edidit veteres libros in hôc sequutus.

(*e*) Chartâ XVII. aversâ, lin. 30. == *Ordo talis erit* „ in quo, *scilicet ponte*, vel, *idest etiam*, sacra „ Salisubsuli, *idest Martis*, suscipiantur. *Salisubsulus* „ *enim*, *utì in antiquorum monumentis reperi*, *Mars* „ *a veteribus dictus est*: *Pacuvius in armorum judicio*: „ pro imperio Salisubsulus si nostro excubet. „ ==

(*f*) *Armorum judicium* == fabula Pacuvii notissima de controversiâ inter Ajacem et Ulyssem, utri Achillis

Porrò aliquantulùm diversè dabatur: nempe ita:

Pro imperio Salisubsulus si nostro excubet.

Absolvendus igitur omnino Muretus falsi crimine. Verùm et jure ferè postliminii restituendus Pacuvio versus, quem neque Stephanus edidit, neque Scriverius, neque Amatus, neque ceteri. Ad haec fabulae titulus addendus, quem Guarinus pridem dederat. Ac Muretus quidem dicendus hausisse versum ex eodem Guarino, eumque dumtaxat emendasse ex ingenio, utì ad jambici mensuram revocaret. Et sanè sic a Mureto emendatum summus ipse Scaliger excepit (g), dissimulato, utì solet, Mureti et Guarini nomine, unum animadvertens simillimum veri, spectasse verba haec ad finem *prologi cujusdam*, ceu Plautinum illud:

Ut vos item aliàs, pariter nunc vos Mars adjuvet.

Nam ego de fragmenti auctoritate dubitandum non ideo reor quia Ferrariensis edicere oblitus sit quibus e membranis eduxerit (*h*). Nemini enim

---

arma danda essent. Vide fragmenta cetera Pacuvianae hujus fabulae inter Fragm. poëtt. vett. latt. a Stephano collecta = a. 1564. pag. 238., item in Collectaneis veterum Tragicorum, Petri Scriverii. Lugd. Batav. 1620. pag. 50., et in Collectione Poetarum latinorum Pisaurensi T. 4. pag. 298.

(*g*) Ad versum 5. superiùs memoratum Carm. Catulliani XVII.

(*h*) Eduxit tamen e membranis. Ait enim, loc. cit. = *in antiquorum monumentis reperi.* = Videant doctio-

non notum scriptorum veterum loca plurima Guarini aetate in lucem prodiisse de grammaticorum scriptis excerpta, quae modò vel incuriâ perierunt, vel in bibliothecarum latebris adhuc delitescunt. Sic tanquam Luciliana praebuerunt Perottus in Martialem, ac Hieronymus Columna in Ennium duo ista:

Ructantur juvenes, et sputis omnia foedant:

item:

. . . . . *ore salem expiravit amarum:*

quae hodie nusquam reperiuntur (*i*). Ac Salisubsulum Guarinus Martem interpretatus est non conjecturâ, sed iis ipsis docentibus membranis, quibus Pacuvii versus continebatur; id quippè manifestè monent allata a nobis Guarini ipsius verba. Nempè fuit insolens illud vocabulum ex ἐπιθέτοις unum, quo Mars in re sacrà, et fortè in Saliaribus carminibus appellabatur: neque ineptè. Est siquidem vocis ejus facilè vis, quâ notetur *saliens subsiliens*, quod de Marte concinnè dicitur in bello hac illac insiliente illo impete, quem poetae passim cecinere.

Praesidiorum genus alterum, quo sum usus

---

res, num in Festum inciderit vulgato ampliorem (quemadmodum Perotto contigisse videtur, quoad Lucilianum versum mox adducendum); an e glossis hauserit nunc deperditis.

(*i*) Lucilium consule Dusianae recensionis. Sat. lib. inc. fragm. 189. 190.

opportunissimè, duo libri sunt manu exarati e bibliothecá Archigymnasii nostri, Parisiis nuper Bononiam reducti, iique optimi, quos celeberrimus, idemque linguarum plurimarum ad miraculum callidissimus Iosephus Mezzofantus mecum liberalissimè communicavit. Est autem chartaceus alter, sanè recentior, saeculi, utì reor, XVI., membraneus alter, longè antiquior, et quantivis pretii. Mitto namque scripturam esse perelegantem: verùm, quod jure mireris, ad calcem operis hoc legitur lemma = *Finivi anno II. Pont. Iohannis XXIII. VIII. Kal. Aprilis-Rivoalti-Hieronimus Donatus Patricius* = Scribebatur igitur procul dubio liber a. 1412 ineunte (*k*).

(*k*) Ac certè id summopere mirum. Fuit enim huc usque doctorum hominum sententia, monente me Antaldio, innotuisse Catullum post restitutas litteras a. dumtaxat 1425. Docuerat id Andreas Scotto Jesuita libro 2. Observationum c. 16. pag. 53. Narrat enim accepisse sese ab Ant. Covarruviâ membraneum quendam codicem a. 1428. manu exaratum Matthaei Palmerii v. cl., de quo Fabricium consule a Mansio auctum in Bibliot. med. et inf. latinitatis. Porò adnotarat ibi Palmerius Catullum repertum esse primùm a. memorato 1425., *pessimèque acceptum in manus hominum venisse.* Hinc Scotto innixi putarunt idem Apostolus Zeno = Giorn. de' lett. d' Italia, T. 12. pag. 364. et seq.; ac = Dissertazioni Vossiane, T. 1. pag. 223. et seq. =; Scipio Maffejus = Storia di Verona 1732. T. 2. pag. 6. =; Barottus = Mem. istoriche de' letterati Ferraresi ediz. 2.ª T. 2. pag. 74. et seq. = Vulpius etc. Atqui centum ab hinc annis am-

Porrò suspicari licet primum illum codicem Veronam advectum, ac modò deperditum, Longobardicisq. litteris conscriptum, si Scaligero credimus (*l*), e quo ceteri omnes putantur profecti, in manus Donati hujusce venisse, adhibitumque esse ad id exemplar exscribendum. Donatus quippe patricio Venetorum genere ortus omnia Veronae poterat (*m*).

---

pliùs Catullianus alter codex innotuerat paullo antiquior; Traguriamus nempe celeberrimus, a. 1423. descriptus, in quo narratio de coenâ Trimalchionis integra ex Petronio Arbitro praeter Catulli carmina continebatur, utì videre est apud Montefalconium in Bibliothecâ Bibliothecarum T. 2. pag. 758., ac Burmannum in Praefat. ad Petronii Satyricon. Membranae tamen nostrae notarum omnium antiquissimae, quantum novi, putandae sunt. Certè non video vetustiores citari; neque in L. codicibus, quos consuluit, reperire potuit aetate grandiorem laudatus Antaldius. Ego verò facilè ideo reor inter fabulas amandandum, quod vulgò ferunt de Catullo primitùs adinvento, saeculo XIV. ineunte, per Guarinum Veronensem. De hôc autem perpendenda quae infra dicemus.

(*l*) Castigat. in Cat. Tib. et Prop. Parisiis apud Petissonium 1577. pag. 3.

(*m*) Catullum ajunt vulgò a Guarino Veronensi repertum; cujus rei tria proferunt testimonia, sanè non admodum gravia. 1.° Sabellici verba, quae in Dialogo de lat. linguae reparatione, ubi de Guarino loquitur, sic habentur. = *Et quod omnium operum illius maximè gratum fuit, Catullum municipem suum situ et squallore confectum, lucemque ex diuturnis tenebris reformidantem ita abstersit, ut sine majore rubore in*

Sed alia sunt, quae libri hujusce pretium augeant. Charta est enim altera in quâ scribitur = *Iste Catullus est Francisci Barbari Veneti Pa-*

---

publicum exire non dubitarit. = Verùm haec, si de emendatione intelligimus, clara sunt, si de inventione non item. Quanquam licet ne de emendatione quidem credere homini non coaevo, et cujus testimonio plura adversantur. 2.° Volaterrani dictum, qui (Comment. Urban. Lugd. ap. Griphium 1552. pag. 428.) repertum suâ aetate cum Quintiliano (hunc poëtam) scribit, sanè leviter et perfunctoriè. 3.° Guarino ipsi Veronensi tributum Hexasticon, de quo infra disseremus. Contra facit, quòd, Maffejo docente, saeculo ipso X. Catulli carmina Veronae extabant, quae ibi primùm lectitasse narrat in quodam e sermonibus suis Ratherius ejus aetatis Veronensis Episcopus. At extabant quoque XIV. saeculo: versus enim quosdam inde citat duobus locis Guilielmus Pastrengus, Veronensis item Civis, et Petrarchae amicus ab eodem Maffejo memoratus; ni versiculos putes illos e grammaticorum farragine hausisse Pastrengum. Extabant etiam circa finem saeculi illius, vel circa initium sequentis. Donati enim codex a. ut diximus, 1412. conscriptus, lectiones habet varias ad oram libri scriptas ipsâ Donati manû, praemissâ notâ *al.*, e quibus colligas non uno codice in exscribendo Donatum eundem esse usum; nisi putare malis τὸ *aliàs* referri ad rationem alteram, quâ incerta membranarum unde exscripsit littera, sinebat legi verba quaedam. Ergo nullum est tempus, quo deperditus dici potuerit Catullus. Demum Guarino perperam tribui poetae nostri inventionem in primis ex eo mihi patet, quod istam avi laudem nullo pacto tacuisset Alexander Guarinus ejus nepos, in suis, quas diximus, *expositionibus in Catullum.* Atqui de avo suo

tricii, *quo a C. V. Ianino Coradino suo donatus est*, *cùm priùs Ianinus ipse ab honestissimo ac cl. Petro Donato Archiep. Cretensi donatus fuisset* (*n*). Denique in ipsâ tabulâ, quâ vetusto more liber tegitur legere est = *Ego Herm. Barbarus Magnifici Domini Zachariae divi Marci Procuratoris Catullum hunc* . . . (*o*) = Vides insignibus dignitate et scientià viris fuisse in ditione membranas hasce,

---

licet saepiùs loquatur, magnâque cum laude, ac Baptistae patris in Catullum merita omnibus paginis ad caelum tollat, nusquam tamen de insigni hoc Guarini avi invento mentionem injicit. Jure igitur de hôc dubitarunt Maffejus, et Barottus cum aliis: unumque est quod affirmari satìs tutò possit, Veronae primùm exscribi caeptum atque illustrari poetam, de quo loquimur, vel XIV. saeculo vertente, vel XV. ineunte, quod ampliùs disputabimus quum de Guarini Hexastico sermo erit.

(*n*) Viri sunt isti percelebres, suaeque aetatis primi. De Francisco Barbaro V. Fabricium in Bibl. med. et inf. latin. lib. 2., Quirinum Cardinalem, Mazzuchellium, denique Rosminum in Guarini Veronensis vitâ italicè conscriptâ, vol. 3. pag. 9. De Petro Donato V. Dictionarium gallicum *Bibliographie universelle* etc. Observandum Petrum Donatum fuisse Guarini Veronensis discipulum, adeoque illum Veronae habuisse domi suae. Fuit igitur procul dubio hic liber in Guarini manibus, ac vel isto nomine in summo pretio habendus.

(*o*) Est hic Hermolaus Barbarus alter, Zachariae filius, Francisci nepos, vir doctissimus, de quo rursus Fabricium lege in Bibliothecâ modò memoratâ T. 1. pag. 172. et seq.

quibus est etiam additum postremo loco Epigramma istud non illepidum:

Herm. Barbari ad Georgium Merulam.

Noster villicus ille, quem, Georgi,
Nosti: villicus ille, cui puellas
Famosus m..., vastitasque p....
Omnes conciliatque venditatque *; * f. *vendicatque*
Ob quem tu viduasque, frigidasque
Solus saepe jaces, agisque noctes;
Noster villicus ille nuntiavit
Factum te mihi derepente summum
Poëtam, ac celebrem; simulque versus
Noctu condere plurimos, diuque.
Gaudete, et virides parate laurus,
Colles euganei, diesque festos
Tempestivo agite, et novo poëtae.
At tu villula nostra, villa dulcis,
Plurimum tibi gratulamur omnes,
In quâ tam subiti exeunt poëtae.
* *T.. qui tam bona nuntia attulisti* * *Tu* vel *Te*
Nobis, villice: nil quod apprecemur
Est majus, quàm utì te sequantur unum
C...., unum cupiant, petantque, et ipsum
In solo Merulam sinant grabato
Versus concinere; ut dolore vero *
Condiscat miseras plicare voces,
Naeniasque, elegumque luctuosum.

* Alludit ad confictum poetarum elegiacorum luctum quem ipse Merula in suis versibus fortè expresserat.

Ego verò codicem dico istum inter paucissimos diligendum; cujus primae fronti, recenti

manu est inscriptum = *Multi emit I. Ch. Trombelli* = quia nempe Trombellius probè viderat libri dignitatem. Atque utinam lituras non haberet locis nonnullis, quibus insequentibus temporibus scripturae veteri ac germanae adulterina, ac nova est superinducta! Manu tamen primâ exaratum continet etiam Hexasticon illud celebre:

Ad patriam redeo longis a (p) *finibus exul:*
Causa mei reditus compatriota fuit etc.

Ruit ergo cll. vv. Boni, et Gambii (ad Arwodium – *Degli Autori Classici greci e latini* Ven. 1793. T. 2. pag. 36.) sententia, qui dixerunt respicere id Hexasticon Andream Gallum, principem Ferrariae typographum, latitantem sub iis verbis:

Scilicet a calamis tribuit cui Francia nomen.

(*p*) Sic. Vulgò edunt *longis de finibus.* Porrò nullus ei praecedit titulus. E regione tertii versus ad oram libri, manû, quae videtur esse Francisci Barbari, scribitur = *Franciscus a calamis l. a brevibus* = hoc est *Franciscus*, ut barbarè ajunt, *Secretarius*, quod explicationem confirmat ejus versûs, quam exhibuit Laurentius Pignorius (symbol. epistol. n.° XVI.). Versus postremus editur sic:

Cujus sub modio clausa papirus erat.

Jure igitur conjecit Joannes Antonius Vulpius (*comment. in Cat.* pag. 375. Pat. ap. Comin. 1737. in 4.°) *quojus* vel *cujus* pro *quovis*, ut vulgo edebatur, esse legendum: quod et a Zeno est probatum, et ab aliis.

quia nempe Gallus consueverit in aliis etiam editis a se libris hunc fronti addere versiculum. Atqui manifestè refelluntur ab ipsâ epigrammatis aetate in nostro codice, quae Galli editiones praecedit annis ferè LX. Verùm et refelluntur ab antiquâ interpretatione ejus versûs, quae ad membranae oram est, utì in notâ (*p*) diximus. Refelluntur tandem, quia Gallus non eo versu sese appellabat in suis editionibus, verum alio disticho, quod sic est:

Impressi Andreas hoc opus, cui Francia nomen
Tradidit: ac Civis Ferrariensis ego.

Praestat igitur credere illud Epigramma, quod in Donati membranis a Guarino compositum nequaquam pronunciatnr, doctissimoque illo viro prorsùs est indignum, e manu esse barbari alicujus hominis, Veronensis, ac fortasse ejusdem illius *Francisci a calamis*, cujus operâ *a longis finibus*, Veronam sunt reducta Catulli carmina, saeculo, ut puto XIV., quemadmodum et Epigrammatis ruditas facilè suadet, et harumce membranarum vetustas, in quibus reperitur (*q*).

(*q*) Opinio ferè haec est superiùs memorata Laurentii Pignorii. Scilicet Petrarchae fortè temporibus, et Pastrenghi, Franciscus quidam scriba, cujus officium erat advenarum nomina ad urbis portas notare, homo barbarus, at bonarum litterarum studiosus, dum peregrè esset *sub modio* invenit laciniosum Catulli codicem satìs male habitum, quem ille exscripsit, ac Veronam

Postremò grammaticos adivi quotquot extant: eorum chartas excussi: quae de Catullo meminerunt in adversaria conjeci: neque utilitate caruit improbus hic labor. Sum enim inde consequutus, utì Catulliana quaedam fragmenta editis carminibus adderem, adeoque integrum versum poëmatio illi dio, quod est de Tethidos, Peleique nuptiis.

Fecit ut id ultimum possem vir inter italos nostrorum temporum praestantissimus Angelus Majus, quum nobilissima λείψανα vetustissimorum Virgilii interpretum in vulgus protulit. Sic enim scholiastes ignoti nominis ad Aen. vers. 80. lib. 5. habet = *Salve sancte parens* =
„ Catullus - *Salvete Deûm gens* (sic), *o bona*
„ *matrum Progenies salvete iterum* (lacuna). *Sancte*
„ *parens iterum quia* . . . etc. = Porrò jam sen-

---

tulit. In fronte autem illud appinxit Hexasticon, quod postea in codices plerosque inde profectos est translatum. Ac fortasse quòd illae Francisci membranae in Guarini ditionem primitùs venerunt, ejus nempe viri, quem Veronae bonas litteras professum decebat maximè hujusmodi librum in suis habere, ideo, qui e Guarini codice Catullum exscripserunt, ejusdem esse putaverunt senos illos versus antiqui poetae carminibus praepositos. Id certè veri mihi simílius videtur. Ceterùm verba ea *sub modio*, possunt etiam μεταφορικῶς accipi ferèque biblico sensu, quemadmodum aetatis ejus mos tulit; utì significent in tenebris latuisse primum illum librum, quem Franciscus exscripsit. Certiora qui novit proferat.

sit Majus spectare haec ad poëmatium memoratum: quare adnotationem hujusmodi subjecit = *Vide Catulli locum Carminis 63. 23., sed diver-*
„ *sum: atqui codex evidenter habet quod ego scri-*
„ *psi* =. Ego verò acceptum referens Majo nostro hunc proventum ita disputavi.

Versus, quos grammaticus antiquus laudat eduntur modò sic:

Heroës salvete, Deûm genus, o bona Mater.
Vos ego saepe meo, vos carmine compellabo.

Quicunque autem diligentiùs eos consideret, hiare locum facilè sentiet, neque constare satis bellè. Dico id, quia minùs opportunè post *τὸ Deûm genus*, interponi videntur attentiùs intuenti verba illa, *o bona mater*, quamvis interpretes nihil non hariolentur ad eorum concinnitatem demonstrandam. Cur enim *mater* numero singulari, quum sermo sit numero plurali de Heroibus? Certè quae huc afferuntur minùs mihi probantur, nescio an ceteris. Contra ex antiquis commentariis ita legendum:

Heroës salvete, Deûm genus, o bona matrum
Progenies salvete iterum . . .
Vos ego saepe meo, vos carmine compellabo etc.

quae verè Catulliana, et rotundissima nemo non videt.

Abest utique hemistichium, cujus loco lacuna erat in codice: verùm si quid video, nullo negotio quae desunt reparari queunt, quin verbum ullum nostro e penu addatur: nam in

ipsis grammatici verbis plenus hexameter occulitur. Profectò ausim contendere ita poëtam scripsisse:

Heroës salvete, Deûm genus, o bona matrum
Progenies salvete iterum, salvete Deûm gens.
Vos ego saepe meo, vos carmine compellabo;

ubi τὸ *salvete Deûm gens*, quod a grammatico semel ponebatur, iteratò scriptum versiculi mensuram aptissimè implet. Porrò ita reapse esse scribendum momenta plura evincunt.

Ac primò hanc si lectionem eligimus inconcinnitas illa tollitur, de quâ supra dictum est. Secundò multo evadit concinnior postremus versus, in quo tum demum rectè poëta dicitur suo saepe carmine compellaturus heroas, quum alterâ jam, et alterâ vice, vel tertiâ compellavit eos duobus versibus, qui praecedunt. Quo autem aptiore modo impleatur deficiens mensura, si haec ratio displiceat, quâ nostri nihil addidimus, unumque id permisimus nobis, utì verba tria, quae scripta semel extabant in antiquis commentariis, denuo scriberentur? Atqui versus qui sequitur, iterationem hanc ferè jubet. Verùm jubet mos etiam pervulgatus ternae invocationis in re qualibet sacrâ (*r*): jubet itidem, vel suadet saltem quaedam fermè majestas, quam longè majorem locus acquirit ita

(*r*) Id verò notius, quàm ut oporteat pluribus docere.

reparatus. Denique jubet intervallum quoque vacuum in MSS., ubi fermè verbis hisce locus videtur vel relictus, vel inscriptus, sed antiquâ liturâ, seu vetustate jam abolitus. Ac fortasse ita olim interpres omnino scripserat: verùm in postremâ iteratione uti maluit compendio sic notans: *s. d. g.* quae litterae sub liturâ sive lacunâ, quam hîc exhibet codex, delitescunt. At haec viderint, qui sese acutiores rentur. Mihi de hôc disceptandum non est ulteriùs (*s*).

(*s*) Addi tamen potest Catullianos allatos versus ita fortè legendos, quemadmodum pressè ad codicem priore loco exhibuimus.

Heroës salvete, Deûm genus, o bona matrum
Progenies, salvete iterum.
Vos ego etc.

Fuit enim in veterum consuetudine, ut in heroico etiam carmine versus datâ operâ interponerentur quandoque breviusculi, ferèque imperfecti: quemadmodum fecisse novimus Virgilium multis Aeneidos locis. Ac novi probè putari vulgò imperfectos in Aeneide versus haberi dumtaxat, quia Virgilius poema illud absolvere non potuit. Verùm jure meâ sententiâ recesserunt ab hac opinione nonnulli, qui rectiùs arbitrantur industriâ hoc fecisse poëtam tragicorum, comicorumque clausulas imitatum; sic ut habeatur in iis interjectum, quod verè grammatici vocabant epodon fermè lyricum. Certè τὸ = *Progenies salvete Deûm* = quod primâ fronte haexametri est in ephthemimeri subsistentis fragmentum, plenus omnino est versus dactylicus trimeter hypercatalecticus, ferèque

Ad grammaticos quod attinet, animadversum ab aliis jam est legi apud eos fragmenta nonnulla carminum, quae hodiè nusquam extant: neque miserandae hae relliquiae nobis visae sunt minimi faciendae. Itaque patienter duxi colligendas, quas tamen doleo nimis esse paucas, easque perbreves, ac quod pejus est ne certò quidem Veronensi poetae tributas. Plures enim extiterunt Catulli, quorum alterum cum altero grammatistae ii crebrò confuderunt. Sic multa haberi tamquam e C. hôc Valerio profecta jam ab aliis est monitum (t), quae verè sunt aut Q. Lutatii Catulli Mimographi, aut aliorum.

Exemplis ut rem conficiam, video in iis poëtae nostro fortasse perperam tribui proceleusmaticum versum a Nonio in *Properiter* (u). Ita enim scribit = *PROPERITER*. Catullus. *Animula miserula properiter abit* =. Ac tanquam Catullianum agnoverunt Forcellinius in lexico (v), Mu-

dactylicus Alemanicus, credo, non sine artificio hîc a Catullo usurpatus pro clausulâ, quia poëta in duobus hisce versibus, et altero qui praecedit, ferè lyricum quid sonat, ac precationem fermè concinere incipit, quam dycolon carmen esse non dedecet.

(t) V. Achillis Statii Comment. in Catull. Venetiis apud Manutium 1566. pag. 8. et seq.

(u) Edit. Mercerianae 517. 4. Genevensis 1622. Auct. Linguae Lat. 776. 14. cap. XI. n.° 63.

(v) V. in *Properiter* et in *Miserulus*. Atqui in *Proceleusmaticus* Diomedis auctoritatem attulerat, de quâ infra est dicendum.

retus (*x*), alii. Sanè de hôc dubitare fassus est Achilles Statius, qui pronunciavit (*y*) = *Ille vero versus apud Nonium Marcellum de indiscretis adverbiis* „ Animula etc., *vereor ut Catulli, sive Catuli sit antiquioris* = At illum fugit, corruptis certè libris fallentibus, iisdem paene verbis afferri a Diomede grammatico, et tribui Sereno poëtae. Sic enim habet (*z*) = *Proceleusmaticum metrum est quale fecit Serenus* „ Animula miserula properiter obiit „ = in quo dumtaxat mutatum est *abit* in *obiit*, minimo facinore. Nec dissimulo aliter legi Sereni versum in vulgatis antiquioribus libris. Ita quippe tradunt = *Anicula tenera propter iter obiit* (*aa*), quod omnino diversum. Verùm Putschium, qui Diomedis locum edidit, ceu supra dedimus, codicibus usum esse scimus emendatissimis, atque in Diomede quidem optimis tribus, quos in praefatione memorat: quare monuit = *Ex his codicibus auctor accuratissimè emaculatus est* =. Addidit autem, utì scrupulus omnis demeretur = *Nihil in textum recepi, quod non in manu scriptis esset, aut e certis-*

(*x*) In Catullum, Venetiis apud Aldum 1558. pag. 89. aversâ.

(*y*) Op. cit. pag. 9.

(*z*) Edit. Putsch. 513. 6.

(*aa*) In Fragm. vett. poett. a Stephano collectis. Lutetiae 1564. pag. 410. Item in Collectione Poet. Lat. Pisaurensi T. 4. pag. 426.

simâ conjecturâ. Sicubi manifesta labes erat, cui neque ex manuscripto, neque vulgato mederi poteram, scriptam lectionem, utì in pluribus repperi, reposui, ut quisque pro ingenii dexteritate exculpat, quod optimum videbitur =. His autem praesidiis fultus inquit denique = *Librum a capite ad calcem totum emendavi, ejectisque spuriis quae priorum temporum vanitas substituerat, genuina in locum suum reposui* =. Quis ergo jure de Putschianâ lectione dubitet, eique vulgatam veterem anteponat? Atqui scimus reapse in proceleusmaticis aliis lusisse Serenum, cujus Martianus Capella alterum hunc versum protulit (*bb*):

Perit, abit avipedis animula léporis.

Ego vero priorem locum posse huic aptissimè subjici video: quocircà in hanc sententiam facilè adducor, ut eos jungere oporteat, ac scribere continenter sic:

Perit, abit avipedis animula léporis,
Animula miserula properiter abiit:

quae concinnissimè cohaerere nemo neget. Ideo ad unum idemque poëmatium de léporis morte adeoque venatu pertinere utrosque jam viderat Hugo Grotius in notis ad Capellam: quod et de versu velim dicere apud Atilium Fortunatianum (*cc*):

(*bb*) Edit. Grotii 169. 3. V. etiam Gramm. lat. Auct. Antiquos – Edit. Putsch. 2415. 11., et 2546. 36., et 2595. Adde Stephani loc. cit. pag. 421, et Collect Pisaur. loc. cit.

(*cc*) Ed. Putsch. 2699. 27.

. . . . humi
Caput inanime tepet: avida neque manus –

ac de alio in fragmento incerti scriptoris, qui Censorino subnectitur (*dd*):

Rapite, agite, ruite celeripedes –

quos libenter Sereno eidem tribuerem, et cum superioribus copularem, si sineret quantitas, continenti sermone, sic:

Rapite, agite, ruite celeripedes: humi
Caput inanime tepet: avida neque manus . . .

abruptá tamen subsistente sententiâ sequentium defectu. Porrò quantitas fortasse sinit, si concedamus *es* in *celeripedes* breviatum, vel ratione graecae originis verbi, quod est *pes*, in plurali πόδες cum *s* habentis, cusâ fermè hybridâ voce *celeripodes*; vel ob licentiam illi parem, quâ Ovidius inquit:

. . . insula tigres habet (*ee*):

magìs etiam sinit, ubi legamus *celere pede*. Verùm *ne quid nimis*. Unum contendam, Sereno omnino reddendum fragmentum, quod inter Catulliana ferebatur: neque hoc dumtaxat ob Dio-

(*dd*) Edit. Putsch. 2727. 27.; et in Censorin. edit. Havercampianâ a. 1753. cap. XV. pag. 151.

(*ee*) Heroidum epist. X. v. 86. -- Aug. Taurin. 1822. pag. 198. -- Adde Vossium in Aristarcho, sive de Arte Gramm. lib. 2. cap. 31. -- Amstel. 1662. pag. 270., et Mariang. a Fano Benedicti, sive Scioppium in Auctar. ad Gramm. Phil. -- Amstel. 1659. pag. 76.

medis testimonium; sed praecipuè quia proceleusmaticum metrum valde est infrequens apud latinos (*ff*), nec inter prototypa metra recipi-

---

(*ff*) V. Jul. Caes. Scalig. Poetic. lib. 2. cap. 7. et alibi -- Antiquiores nusquam eo videntnr usi. Primus fortasse latinorum adhibuit Serenus; tum Serenum imitatus Ausonius, qui in parentalibus (XXVII.) Juliae Veneriae amitae mortem quatuor hisce proceleusmaticis tetrametris catalectis flevit:

Et amita Veneria properiter obiit (1)
Cüi brevia mela (2) *modifica recino*,
Cinis uti placidula supera vigeat (3)
Loca tacita celeripes adeat Erebi.

(1) (lego *abiit*)
(2) (f. *melia*, vel *melea*, vel *melica*)
(3) (addo in fine *et*)

Versiculos etiam aliquot ejusdem generis, nullo auctore, citant grammatici, quorum plerosque censere est grammaticos ipsos in exemplum composuisse: ceu illos apud Putschium 2546.

Agite juvenes --
Agite, peragite, juvenes --

et 2652. *Id agite, peragite celeriter itinera* -- etc.
et 2651. *Memor eris, asine: moreris, asine vapulans* --
quod in scholasticos convicium facilè censeo.

Contra Septimio Sereno ex eodem de lèporis venatu poëmate illud tribuerem in Putschio 2523., 2546., 2595.

Nemus ave reticuit, ager homine sonat --
intelligendum, ni fallor, de venatorum tumultu, quo territae aves tacent, reboante agro: tametsi ad alia pariter transferri posset; ex. gr. ad Orpheum avibus silentium indicentem suis numeris. Item illud pag. 2679.

Pecora rapida caper agitat --
ni praestet legere *rabida*. Est enim de agrestibus, qualia ferè cecinit Serenus: puta de capro inter pecora lasciviente.

tur (gg); sed anapaesticis ferè accensetur, qualia Catullum fecisse nusquam (si ancipitem hunc excipis locum) invenias. Contrà certo scimus iis delectatum Serenum (*hh*); utì et dactylicis qui-

---

Cetera non moror, velut illum verè jambicum trimetrum, ex aliquo e comicis, ni grammaticus ex ingenio protulit, solutis jambis omnibus praeter ultimum in tribrachos:

Rabere (sic enim lego) *maria celerivola dea sibi cupit* — qualis fieret versus etiam superiùs allatus, ita si reconcinnetur:

Memor eris, asine; memor eris asine vapulans —
Sed et jambicus est dimeter in pyrrhichicum abiens eâdem solutione, versiculus, qui adducitur pag. 2591.

Agite, fugite, quatite Satyri —
proindeque, nisi in grammaticorum officinâ confectus, fortasse in dithyrambico poëmatio repertns.

Demum pyrrhichicos, sive proceleusmaticos memorare haud dedecet, quos ad Sereni, Ausoniique apertissimam imitationem dedit Julius Caesar Scaliger, modò laudatus (cit. op. lib. 2. cap. 7.):

Animula vagula misera loca subige fuga.
Quid aliud aveo? Lacryma pia volat.
Periit et abiit animus: ut is obeat ibi,
Latet ubi lapide gelida mea rosa, —
Utì et Carmen integrum ejusdem auctoris in Cybelen et Sylenum, cujus initium est (op. cit. lib. 1. cap. 48.)
Modò citus ego pede celere magis ago numeros:
Abeoque, Venere duce, super alia loca volans etc.
Uberiora qui cupiunt, grammaticos de his consultò, et ex professo agentes ii consulant.

(*gg*) Victorini lib. 2. Edit. Putsch. pag. 1545.
(*hh*) Diomedis lib. 3. Edit. Putsch. pag. 511.

busdam, quae ipse dicitur *post Catullum natum* invenisse, ac de patrio nomine appellasse *phalisca*, facillimè in proceleusmaticorum censum abeuntia. Porrò, ceu pridem Iacobus Nicolaus Loënsis (*ii*) animadvertit, phalisci reapse sunt allati versus, e dactylis tribus compacti, queis jambus subjicitur, solutis dactylis in proceleusmaticos pedes, ac jambo in tribrachin, opportunissimè, ut in iis, quibus ipsa lèporis occisio canitur, concitatiùs eat carmen, et ad affectus notandos aptiùs. Ergo Sereno reapse versus hic noster est linquendus, quem rationibus memoratis haud puto a Catullo accepisse, tametsi partem ejus dimidiam utique a Sereno sumpserit Ausonius in eo pyrrhichico carmine, quod ad imitationem Septimii scripsisse animadvertimus notâ superiori (ee).

Plura superessent adhuc monenda de ceteris adjumentis, quae saxum hoc volventibus nobis comparare studuimus, at epistolam video crevisse jam satìs. Supersedendum igitur censeo, potiora fortè prolaturus litteris proximis. Tu cura ut valeas, ac me pro viribus satagentem, ut soles, ama.

(*ii*) In Gruteri Face artium Critica T. 5. Miscell. Epiphill. lib. 5. cap. 4. pag. 451.